



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn


**Disputatio De Dicto D. Ioannis Evangelistæ Et Apostoli:
Lex per Mosem data est: gratia & veritas per Iesum
Christum exorta est**

**Schnepff, Dietrich
Rulich, Jacob**

Tvbingæ

VD16 S 3281

urn:nbn:de:hbz:466:1-36625




Th. 956.

g[~]

351





DISPUTATIO DE DICTO D. IO,
ANNIS EVANGELISTÆ ET APOSTOLI:
*Lex per Mosem data est: gratia & veritas per
Iesum Christum exorta est.*

Deo Patre Seruatoris Domini, sua gratia beni-
gnè nos iuuante,

PRAESIDE D. THE-
ODORICO SNEPFFIO, DOCTORE
ET PROFESSORE THEOLOGO TVBINGENSI,
*Præceptore ac patrono suo reuerenter colendo, M. IACOBVS
RVLICHIVS, Filius, Augustanus, Nonis Augusti, hora sexta
matutina, in auditorio Theologorum, ad sequentes propositiones,
exercitationis causa, pro ingenij tenuitate
respondere conabitur.*



TVBINGÆ,
Per Alexandru n Hockium, Anno salutis, M. D. LXXX.

OPINATIO DE QUITO DIO
IN ANGELICA ET ASTORIA
Liberi Johannis de Gualtero et Joannis
Johann Baptistam exorta est.

Joannis Serenorum Domini in gratia
que nos iudicamus.

RAESIDE D. THE
RIGORIS SNEPTIO DOCTOR
PROFESSOR THEOLOGO TYRINSEM
in gratia in thesauris de INCOGN
L. 17. in thesauris de INCOGN



IN THE THEATRO
M. P. 1700

DISPUTATIO DE DICTO D.
IOANNIS EVANGELISTÆ ET APOSTOLI:
Lex per Moſem data eſt: gratia & veritas per
Ieſum Chriſtum exorta eſt.



Erè dicere poſſumus, Ioannem Euange-
liſtam & Apoſtolum ſentētias locutum: et
ſingula propè verba eius, eſſe apophte-
gmata.

2. Nihil autem de doctrina legis & Euangelij ma-
iore elegantia, & meliore compendio dici potuit, quàm
quod ille in primo Euangelij ſui capite ſcribit: Legem
per Moſem datam: gratiam autem & veritatem per
Ieſum Chriſtum exortam eſſe.

3. In his enim & vnde illa profecta ſint, & quæ ea-
rum ſit ratio, conſpicitur.

4. Nam cùm legem per Moſem datam ſcribit, hoc
vult: dominum legem ſuam, miniſterio Moſis prophe-
tæ, promulgâſſe.

5. Quamquam enim ipſe rerum omniũ dominus, in-
credibili pompa, legem propoſuit: tamen Moſem
ὄραφῆτις & interpretem ſuum, ad populum Hebræũ
eſſe voluit.

Exod. 19.

6. Certum etiam eſt, DEI filium legẽ dediffe: nam
ab eo qui eduxerit Hebræos è ſeruitute Babilonica, (is
autem, teſte Apoſtolo fuit Mediator) profecta ſcribi-
tur: & tamen Moſe legato, vt diximus, vſus eſt: de
quæ re conſulenda eſt hiſtoria ſacra.

Exod. 20.

1. Cor. 10.

7. Quamuis autem promulgatio legis multis mira-
culis illuſtris ſit: tamen imprimis eam ob cauſam cele-
britatem meritò inuenit, quod decem illa verba ipſius
DEI manu ſcripta ſunt.

8. Dein-

8. Deinde cum Moses, per quem ea lata est, summus propheta sit: ab eo quoque commendationem habet maximam.

9. Longè autem maior gloria est Euangelij. Nam id per Iesum Christum exortum à Ioanne scribitur.

10. Etsi enim supra diximus, legem etiam à Christo DEI filio datam: tamen hoc ad eius maiestatem pertinet: propriè verò doctrina Euangelij, ministerio ipsius Christi: legis autem per Moysen tradita dicitur.

11. Itaque lex per insignè quidem prophetam, sed tamen hominem: Euangelium autem per Deum & hominem promulgatum est.

12. Et Moses quidem legem docuit, quam à Deo acceperat: Christus autem eam doctrinam attulit, cuius ipse auctor cum patre & Sancto Spiritu extitit.

13. Hinc eruditè admodum Chrysostomus inter regiam maiestatem ac imperium, illud verò seruitutem indicari videatur.

Chrysof. in Ioan:
Hom 13, Pag. 49

14. Huius discriminis mentionem facit Apostolus in epistola ad Hebræos, cum scribit: olim quidem Deum patribus locutum per prophetas: extremis autem temporibus per Filium.

Heb. 1.

15. Quanto ergo Christus Moysi maior: tanto doctrina Euangelij ipsa lege sublimior videri debet.

16. Et Paulus certè ipse, Corinthijs scribens, maiorem gloriam Euangelij, quod ibi vocat administrationem spiritus, quam legis, eam autem appellat administrationem mortis, meritò esse debere affirmavit.

2. Cor. 3.

17. Quam

Lege & Euangelio.

17. Quanquam autem lex anno mundi 2454. cum e populo Hebræo dominus Ecclesiam sibi colligeret, in monte Sinalata; Euangeliū autem veniente Christo ad omnes partes orbis terrarum diuulgatum est: tamen post primos statim homines natos, ambæ illæ doctrinæ extiterunt.

18. Nam quamuis post primam illam cladem generis humani lex domini mirificè in mortalium animis obtenebrata fuerit; tamen manserunt quædam eius vestigia.

19. Hinc Paulus pronunciat: gentes etiam legem ostendere inscriptam cordibus: naturalem illam vocamus, quod eam ab ipsa natura & vberibus maternis arripuisse & hausisse videamur.

20. Nec dubium est primos patres, legis etiam accuratorem doctrinam, quàm ea est, quæ naturæ beneficio nobis contingit, per manus acceptam, posteritati tradidisse.

21. Nam vel ex ipsius domini colloquio, quod cum Caino habuit, facile intellexerunt, concupiscentiam etiam Deo displicere: & operam dandam, vt ne eam nobis dominetur.

22. Non ergo habuerunt primi illi homines superficialiam duntaxat legis cognitionem: sed talem etiam, quæ eos doceret de concupiscentia frenanda.

23. Vox autem Euangelij in ipso paradyso sonuit, cum Deus protoplastos concione de semine contrituro caput serpentis erigeret & consolaretur.

24. Et sacrificia Abelis, Nohe & reliquorum patrū, qui ante legem latam vixerunt, testantur, patres etiam

A 3 cere-

Rom. 2.

Gen. 4.

Gen. 3.

Gen. 4.

Gen. 8.

ceremonias habuisse: maximè illas sacrificiorum & immolationum.

25. Et quàm luculenter de Christo vaticinatur Moses capite decimo octavo Deuteronomij: cum alium prophetam expectandum esse scribit.

26. Quamuis autem omnibus temporibus utraq; doctrina in Ecclesia Dei extiterit: tamen dominus ea pompa quadã ac miraculis, & quidem ijs temporibus quæ ipsius maiestati videbantur, non modò exornavit, sed confirmavit etiam: ut eas in hominum animis accenderet, & ad accuratissimas rationes acueret patefaceret.

27. Quod si ergo promulgationis tempus respiciamus, lex Evangelio antiquior est: cum autem ipsas doctrinas consideramus, in ipso paradiso etiam extiterit ambas dicemus.

28. Nam cum dominus accusat primorum parentum peccatum, & maledictiones denunciat, certè doctrina legis utitur: quæ & accusat homines & poenas interminatur. Et supra ostendimus, patres non modò externa obedientia, sed animorum etiam motibus concupiscentia edoctos fuisse.

29. Concio autem de semine mulieris, doctrinam Evangelicam, brevem illam quidem, sed & nervosam, & ad solidas consolandi rationes accommodatissimam complectitur.

30. Ex his constat, toto coelo errare eos, qui omnes homines in tres quasi classes partiuntur, & primos illos quidem, lege naturali servatos docent; posterius

Lege & Euangelio.

tem autem eorum lege Moſis: vltimi autem temporis homines, lege noua iuſtificatos tradiderunt.

31. Neq; enim ſine cauſa Dominus Euangelium ſuum primis patribus reuelauit: ij autem qui ſub lege vixerunt, multas conciones propheticas, & luculenta de Chriſto vaticinia audiuerunt.

Act. 15.

32. Itaq; etiam D. Petrus in celebri illo Apoſtolorum concilio teſtatus eſt, patres fide in Ieſum Chriſtum ſeruatos.

33. Hanc Apoſtolorum doctrinam, præcipui ex ſcriptoribus & interpretibus ſacris, in primis autem D. Auguſtinus fuiſſe oſtendunt.

Auguſt. de Nat.

34. Sic enim ille ſcribit de natura & gratia: Ea fides iuſtos ſanauit antiquos, quæ ſanat & nos: id eſt, Mediatoris Dei & hominũ, **I E S V C H R I S T I**, fides: ſanguinis eius fides: crucis eius fides: mortis & reſurrectionis eius. Idem repetitur in libro de libero arbitrio, capite decimo tertio.

& gratia lib.

7mo cap. 44.

35. Teſtatur Eufebius, eos etiam, qui ante Chriſtum natum vixerunt fuiſſe **C H R I S T I A N O S**. Eandem

Euf. lib. Eccleſ.

Hiſt. primo. cap.

primo.

quoq; *ἰσχυρῶς* habet D. Auguſtinus in quæſtionibus veteris teſtamenti. Hæc autem ſunt eius verba: Priores omnes (intelligit autem patres veteris teſtamenti) quotquot fidem habuerunt vnus Dei, quam Saluator prædicauit, iure **C H R I S T I A N I** dicendi ſunt. Ab initio enim Saluator venturus promiſſus eſt. Vnde Ioannes in Apocalypſi ait: Agnum occiſum eſſe ab origine mundi. Itaq;, ſemper **C H R I S T I A N I** fuerunt.

Apo. 3.

36. Ex his igitur satis, ut opinor, disertè ostendimus doctrinam legis & Euangelij semper extitisse in Ecclesia Dei: & eandem fuisse salutis rationem omnibus hominibus: suis autem temporibus, quæ à Deo decreta fuerunt, eas publicè promulgatas esse.

37. Sed & hoc obseruandum est: in veteri testamento, (quamuis vaticinia de Christo haberentur) præcipuè fuisse inculcatam legem: & ideò D. Lutherus vetus testamentum vocat librum legalem. In nouo autem præcipuam doctrinam esse Euangelij: cum quatuor men coniungitur, suo quodam modo, ut infra dicitur, lex diuina. Lutherus etiam eleganter dixit, nouum testamentum esse librum gratiæ, Augustinus nouum testamentum gratiæ testamentum dicit, vetus autè timor.

August. lib. 2.
Quest. super
Exod. quest. 73.

38. At verò non satis est intellexisse, per quos dicitur Lex & Euangelium fuerint: & quando ambæ illæ doctrinæ promulgatæ sint: sed vis etiam earum accuratè inuestiganda est.

39. Incredible enim est, quanta incommoda superioribus temporibus extiterint, cum duo illa doctrinarum genera confunderentur, & Euangelium ipsum in Legem, & Lex in Euangelium transformaretur.

40. Diuus autem Ioannes, non tam breuiter, quam eleganter, rationes vtriusque doctrinæ proposuit.

41. Etsi enim non attulit, secundum Dialecticorum accuratas præceptiones, plenas definitiones: tamen ita eas descripsit, nemo ut sit, qui ex ijs non intelligat, quæ vtriusque vis sit & natura.

42. Lex, inquit, per Mosem data est: gratia autem & veritas per Iesum Christum exorta est.

Disputatio de

43. Quo loco notandum est, Apostolum, seruiturū breuitati, Legis omnem descriptionem, ex Euangelij quadam περιφράσει, quam definitionis loco posuisse videtur, κατὰ τὸ σιωπόμενον, intelligi voluisse.

44. Nam cū Legem & Euangelium inter se opponat: rationibus vnus intellectis, alterius quoq; naturam percipi posse existimauit. Deinde h̄s temporibus, quibus Apostolus scripsit, Lex omnib. in ore erat: vt vel solum nomen sufficere intelligentibus videret.

45. Principiò ergo Euangelij attributa videamus: & contrà de Lege, qualis ea sit, pauca dicamus.

46. Prius attributum est, quod sit doctrina gratiæ. Est autē, teste Apostolo, gratia recōciliatio & acceptatio apud Deum gratuita: qua Deus gratis per & propter Christum agentes p̄nitentiam & credentes recipit: & non modò peccata eis remittit, sed suam etiam iusticiam imputat, & donat S. sanctum: qui in eis efficacax est: ac nouam obedientiam inchoat.

47. Hoc cū ex alijs multis scripturæ locis, tūm verò Paulino illo, qui extat ad Ephesios secundo, cernitur: Gratia, inquit, saluati estis: & hoc non ex vobis: Dei donum est: & non ex operibus: ne quis gloriatur.

48. Huic similis est locus ad Romanos quarto; vbi disertè gratiam operibus & mercedi opponit.

49. D. etiam Augustinus libro retractationum primo, capite vigesimo quinto affirmat: Apostolum in epistola ad Romanos, nomine gratiæ, remissionem significare peccatorum.

50. Chrysostomus autem ea, quæ hoc loco dicuntur, de gratuita intelligit peccatorum remissione. Sic

Chryf. Hom. 13.
in Ioan.

B enim

Disputatio de

Marci. 2.

enī scribit: fieri gratiā & veritatē regis est, cū potestate omnia dimittentis peccata, & benignitatis suae dona confirmantis: Quare, inquit, dimittuntur tibi peccata tua: Et iterum; ut sciatis quoniam potestatem habet filius hominis in terra dimittendi peccata, dicit paralytico: Surge, tolle grabatum tuum, & vade in domum tuam. Vides quomodo gratia per eum facta sit: Hætenus Chryostomus. Et his sanè verbis discretè ostendit præclarus ille Theologus, se hunc locum Evangelistæ & Apostoli Ioannis, de gratuita condonatione peccatorum, quæ à summo illo rege Domino donorum proficiscatur, intellexisse.

2. Cor. 3.

51. Hinc nomen Evangelij natum est: quod videlicet ea doctrina lætium illud nuncium, de remissione peccatorum, humano generi patefaciat. In hanc sententiam dicitur etiam SPIRITVS VIVIFICANS, & ADMINISTRATIO IUSTICIÆ. Voluit enim sacra scriptura, brevitate & elegantia illa vocabulorum, quæ sensu tincta sunt, quasi compendio quodam, apud memoriam nostram, deponere ea, quorum cum suavitate meminisse semper deberemus.

52. Ex his contrà colligimus, quid Ioannes tribuat legi: etenim ut GRATIA gratuitam reconciliationem significat; ita tacitè tribuitur legi ira, accusatio & condemnatio.

1. Cor. 15.
Rom. 4 & 7.
2. Cor. 3.
Rom. 7.
Gal. 3.
Rom. 3.

53. Hoc Apostolus varijs epithetis exprimere voluit, cū legem dicit esse potentiam peccati: iram & mortis effectricem: administrationem mortis: literam occidentem: quæ faciat peccatum maiorem in mortuum peccans: quæ concludat omnes sub peccato: quæ

Lege & Euangelio.

quæ omnium ora obturet: chirographum contra nos scriptum, & alia similia.

Colof.

54. Nec existimandum est, Deum patrem omnis misericordiam, doctrinam humano generi exitialem afferre voluisse. Lex enim sancta est: & ad vitam data: bona, spiritualis. At quia innocentem in hoc mundo inuenit neminem, omnes accusat & condemnat, reos faciens aeternæ damnationis.

Rom. 7.

55. Cùm verò ea mortalium generi, quod à Deo creatore suo deflexit, iram domini denunciet, rectè Euangelio opponitur: quod gratiæ & fauoris, ac proinde etiam salutis gratissima, iucundissimaq; est concio.

56. Non tamen ideò à Domino Lex data est, vt ad nostra damna & miseras adiungeretur: sed vt esset ferula; qua ad Christum dominum incitaremur.

57. Nā cùm Lex & de admissis nos accusat, & mortem minatur, de remedio cogitare incipimus.

Gal. 3.

58. Huc pertinent elegantes illæ similitudines Paulinæ: vbi legem & carceri & pædagogo confert.

59. Etenim, vt in Academijs carceres habentur: non quibus homines ad tormenta & cruciatus includant: sed exultantis nimium et ferocientis iuuentutis intemperies coherceatur: vt ad elegantiam morum, vitæq; innocentiam seuerioribus illis rationibus pertrahantur: ita Paulus scribit, **CONCLUSOS** fuisse homines in eam fidem, quæ erat reuelanda: significaturus, eos lege, quasi cancellis & carceribus inclusos, vt ad fidem Iesu Christi aspirarent.

B ij 30. Eadem

60 Eadem planè ratione legem pædagogum nostrum vocat. Ea enim cōminationum ferulis in amplius Seruatoris Domini nos compellit: & vt magister puerorum, castigationibus suis ad obsequium eos adducunt: ita Moses legibus illis seuerioribus adigit vt nos totos addicamus in obsequium Christo, & iugum ipsius leue & iucundum aspiremus.

Mat. 11.

61. Hæc tamen non ita intelligimus, quod Lex natura nos ad Mediatorem ducat; (solum enim Euangelium nobis Christum monstrat) sed cùm ea modicum nobis animorum ostendit, cogit vt medicinam meditemur; quam in solo Christo inuenimus.

62. Quanquam autem nonnulli, superiora illa ad disciplinam duntaxat Hebræi populi referre voluerint, tamen nos non solum de externa pædagogia Paulum agere, sed illa accuratiore intelligimus, vbi agniti per legem peccatis, ad Christum festinamus.

63. Nam Apostolus disertè dicit, homines conclusos sub peccatum, vt promissio Christi daretur credentibus; quod de ceremonijs & externa Hebræorum disciplina sola, intelligi nequit.

64. Sic capite quarto eiusdem epistolæ, cùm similitudine tutoris & pupilli fuisset usus, statim subiungitur beneficio Christi nos adoptionem & ius filiorum consecutos. Non ergo ibi agitur duntaxat de disciplina, quam per legem in veteri illo populo & institutam & conseruatam concedimus: sed de salutari illa peccatorum agnitione, quæ nos ad Christum deducit.

65. Deniq; vt in medendi ratione chirurgi se feriunt vtuntur, vt postea adhibeant *ἄνωδιναν*, ac sanitatem procurent.

Lege & Euangelio.

eurent: ita Lex minas, maledictiones, mortisq; cruciatus, veluti ferramenta adhibet, vt ad medicum & medicinam IESVM CHRISTVM nos impellat.

66. Sic ergo Ioannes vnico vocabulo GRATIÆ ostendit, & quid sua seueritate apud nos proficiat Moses, & quàm salutaris medicina nobis parata sit in seruatore Domino.

67. Ex his etiam descriptiones Legis Moralís & Euangelij confici possunt.

68. Lex enim quam moralem vocamus, est doctrina diuinitus per Mosem tradita, exigens perfectam obedientiam erga Deum, & charitatem erga homines: quam cum in hominibus non inueniat: non præmia, quæ obedientibus promittit, sed pœnas, decernit: vt ij qui sanabiles sunt, ad Christum pertrahantur: impœnitentes autem æternis cruciatibus addicantur.

69. Contrà, Euangelium est doctrina per Christum tradita: qua gratuita Dei clementia, remissio peccatorum, iusticia, S. sanctus, & vita æterna, per & propter Mediatorem, credentibus exhibetur.

70. Quamuis enim quædam in his definitionibus addita sint, tamen omnia complexu vnus vocabuli GRATIÆ, contineri videntur.

71. Nec ea vis ipsis doctrinis tribuitur, sed ei, qui per illas in hominibus efficax est, Nam Deus electis suis Legem ac Euangelium proponit: atq; per eas doctrinas, in ipsorum cordibus, & seriam pœnitentiam & fidem creat.

72. Nostræ enim conuersionis, ipse Dominus author est: sicut scriptum est in Hieremia: Conuerte me Domine & conuertar.

1er. 31.

73. Nec

73. Nec existimandum est, vt perperam sentiam Antinomi, Paulum omnem Legis Moralis vsum ex Ecclesia sustulisse, cum dicit, Christianos non amplius esse sub Lege & pædagogo.

Math. 5.

74. Nam ipse Seruator Dominus dicit, nõ venisse vt soluat legem, sed vt compleat, eosq̃ in regno celorum minimos pronunciat, qui vnã ex his legibus soluerint. Quis ergo dixerit, legem à Christo ita antiquatam esse, vt hodiè nullus ex ea ad Ecclesiam Christi fructus redire possit:

75. Res etiã ipsa docet, legem non esse in nouo testamento abolitam. Nam cum Christus & Apostoli poenitentiam & agnitionem peccati requirant: ea autem ex Lege Domini petatur: nemo sanus negare poterit, legem, suas etiã partes, in nouo testamento obtinere.

76. Christus certè ipse legem ad exquisitissimas rationes docuit: vt videre est in concionibus, quæ in Euangelista Mathæo capite quinto habentur.

77. Eo enim in loco, superficiariam legis interpretationem damnat: & ostendit, eam perfectissimam à nobis obedientiam requirere.

78. Paulus etiã cum fatetur, se non nisi legis beneficio intellexisse, concupiscentiam damnari: ostendit accuratissimam peccati agnitionem in lege Dei proponi.

79. Præterea, cum & Christus & Apostoli, multis locis homines ad nouam obedientiam cohortentur:

Lege & Euangelio.

tionem autem vitæ morumq; omnes, in decem illis verbis contineantur: nemo remouere legem à noui testamenti hominibus poterit.

80. Et certè hodiè etiam, nonnulla ex Lege Moſis obſeruantur politica: ea videlicet, quæ cum Lege morali & naturali conueniunt.

81. Cùm etiam leges Imperatoriæ, plerq; omnes, ex fontibus legis naturalis & diuinæ defluerint: decalogus certè antiquari non poterit, niſi legum omnium venas & ſcaturigines præcidere velle videamur.

82. Etſi enim ij legiſlatores, qui Domini ſpiritu illuſtrati non fuerunt, ad legem Dei primò & per ſe non reſpexerūt: tamen cùm ſuas leges ex lege naturæ hauſerint, ea autem cùm lege diuina conueniat: rectè dicimus, & illas à lege Dei perfectas eſſe.

83. De his vtilitatibus D. Auguſtinus multa eleganter ſcripta reliquit: ſic enim de poenitentia medicina, capite primo ſcribit: Ad hoc LEX data eſt, vt ſuperbo infirmitatem ſuam notam faceret, infirmo poenitentiam ſuaderet. Ad hoc etiam Lex data eſt, vt vulnera oſtenderet peccatorum. Et alibi dicit: Cùm Lex non iuſtificat impium de præuariatione conuictum, mittit ad iuſtificantem Deum.

84. His certè verbis luculenter oſtendit Auguſtinus, vſum legis diuinæ poenitentibus neceſſarium eſſe: vt agnitis ex ea conſcientiæ vulneribus, ad medicum, qui vulnera illa ſcit alligare, confugiamus.

Eſa. 68.

85. Sed de pietate & formandis ex lege diuina moribus

B iiij

moribus

Aug. ad Bon.
con. epist. Pelag.
lib. 3. cap. 2.

moribus, idem author in hæc verba scribit: Profecto legem Dei, non solum populo Iudaico, verum etiam nobis ad instituendam recte vitam necessarium nemo dubitabit. Quis enim dicat, non debere obsequare Christianos, ut vni Deo religionis obsequio seruiatur, ut idolum non colatur, ut nomen Domini non accipiatur in vanum?

86. At verò, quæ in D. Paulo, & alijs scriptis Canonicis, de Legis abrogatione habentur: tum de eius dominio intelligenda sunt.

87. Lex enim primum vniuersum mortalium generum agit, quod nulla ex parte vita moribusque ei perfectioni respondeat, quam ipsa summam & exquisitam præscribit.

88. Quod enim potest Lex magis exactum obsequium requirere: quam ut DEVM diligamus, ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota mente: & proximum sicut nos ipsos.

Mat. 12.
Luc. 10.

89. Nihil enim in hoc mandato est, quod non ad perfectionem summam exigatur.

90. Et cum omnium in homine virium rectitudo requiratur: nequaquam iudicandum est, in lege eam datam taxat satisfactionem, quæ apud imperfectos homines existere potest, exigi.

91. Etenim si hodie viveret aliquis, Adamo modo omnibus similis: (ut is ante tristem illam cladem fuit) certè nihil ad obsequij perfectionem maius afferre potest, quam quod à lege Domini præscribitur.

92. Nam ea non solum actiones nostras accusat, sed cogitationes etiam tacitas & concupiscentiam: quæ omnia

Lege & Euangelio.

omnia reformare nos in vniuersum, dum huius corporis mole grauamur, sanè non possumus.

93. Ita verò perfectam obedientiam lex postulat, vt si quis totam legem seruauerit, offenderit autem in vno, fiat omnium reus.

94. Accusationem illam sequitur iusta condemnatione. Nam cum in omnibus reos nos esse agnoscamus: maledictiones, à Domini ira profectæ, nobis incumbunt, in quibus præcipua est mors: quæ, vt Paulus loquitur, propter peccatum in hunc mundum ingressa est.

95. Quamquam Lex ipsa sancta est: tamen propter nostram illam deprauationem, administra mortis nobis esse incipit.

96. Cum autem Seruator noster dulcissimus, omnem Legis & accusationem & execrationem sustulerit, dum pro nobis factus est execratio: rectè dicimur à Lege soluti, & in libertatem vendicati. Nemo enim est, qui possit accusare electos DEI, cum Christus sit ad dexteram DEI, & intercedat pro nobis

97. Et, cum Deus per Christum caput & fratrem nostrum, pater noster factus sit, eumque erga nos affectum induerit, quem habet erga filium: omnia illa comminationum fulmina cessant: omnia vincula soluta sunt: imò Christus ipsam captiuitatem duxit captiuam.

98. Sublata ergo ex lege sunt ea omnia, quæ nobis molestiam, periculum, & condemnationem creabant: & sic Lex abrogata dicitur: Contra, quæ in lege vel ad agnoscendam & deplorandam infirmitatem, vel vitam rectè instituendam utilitates cernuntur: nequaquam antiquatæ sunt: sed ad emolumenta nostra retinentur.

C 99. Cum

2. Cor. 3.

Gal. 3.

Rom. 8.

Psal. 22.

Math. 12.

Ioh. 16.

Rom. 8.

Psal. 68.

99. Cū ergo D. Ioannes scribit, gratiam exortā esse per Iesum Christū: nō sic accipiendum est, ac si Euangelij doctrina, omnē in nouo testamēto vsum legis deleuerit & sustulerit: sed relinquit, vt diximus, legis utilitas, vt & peccata ostēdere, & normā vitę ad regulas actiones moresq; informādos, pręscribere possit.

100. Quāq; autē vtraq; doctrina, & legis et Euangelij cōiungēda est: tamē nullo modo ambę p̄miscēdae.

101. Non ergo probamus Euangelij definitionem quibusdam usurpatam: quod sit concio p̄nitentię & remissionis peccatorum.

102. Euangelij enim vox propriē latū & gratū nūquam significat: cū autem p̄nitentię concio, per se nō ad solationem sed dolorē excitandū elaborēt: nō videtur quomodo ea in Euangelij definitionē includi debeat.

Math. 5.

103. Et cū Christus ad p̄nitentiā hominū hortatur, legē Moſis cōtra deliria Phariseorū accētius, interpretet: Moſis autē doctrina (vt locus Iohannis quem disputandum suscepimus, ostendit) a Christi Euangelica differat: res ipsa docet, legis & p̄nitentię rationes definitioni Euangelij non conuenire.

104. Non tamen negamus, vocabulum Euangelij quando pro tota doctrina Christi usurpatam. Nam Christus discipulis mandata daret, de toto ministerio his verbis vsus est: Ite in orbem vniuersum, & p̄dicate Euangelium omni creaturę.

Mat. VI.

105. Sic ergo ostendimus, quomodo D. Ioannes GRATIÆ vocabulum legi opponat: super est, vt dicimus, quare eidem veritatem opposuerit.

106. Cum autem LEX doctrina sit diuinitus tradita & ab ipsa veritate profecta: faciliē intelligimus,

Lege & Euangelio.

loco veritatem non mendacio, sed vmbriſ opponi: quæ in veteri testamento præſcis illis hominibus, veluti primæ quædam lineæ & adumbrationes rerum futurarum de Christi regno, proponebantur.

107. Sic enim D. Apostolus Paulus primas hæc lineas, vt ita loquamur, eorum beneficiorum, quæ expectabantur, in epistola ad Hebræos vocare voluit.

H. b. 8. c. 10.

108. Lex, inquit, vmbra obtinens futurorum bonorū, non ipsam imaginem rerū his hostijs, quas singulis annis easdem continenter offerunt, nunquā potest accedentes perfectos reddere.

109. Sunt autē duplices vmbra: quædā, quæ in historijs cōspiciunt: typos fortassis dicere possemus: vt, Ioannas typus est resurrectionis Christi: alia in ceremonijs cernunt, vt agnus paschalis: quæ à Paulo vmbra vocantur.

110. Cū ergo Apostolus Ioannes Christū veritatē attulisse scribit: hoc vult, ea quæ typis & adumbrationibus quibusdam in veteri testamento præfigurata sint, per Christum, eiusque beneficia expressa & completa esse.

111. Iudicamus autem, vmbraſ illas opponi, non modò Ceremonialibus Moſis legibus, sed forensibus etiam, & toti Reip. Hebræorū. Atque ita D. Ioannes, non modò gratiam opponit morali legi: sed vmbraſ (per quas politiam & ceremonias intelligit) confert cū completō, quod habent in regno Christi. Nā tota Reip. Hebræorū, Hierosolyma, tēplū, fuerūt typi regni Christi.

112. Quis enim non intelligit, ea quæ de monte Sion, Hierosolymis, in Esaia, Zacharia, Michæa dicuntur, de Christi Ecclesia accipienda esse: Nam Apocalypſis disertè hoc explicat, capite vigesimo primo, vbi de nouis Hierosolymis loquitur.

*Esa. 2.
Mich. 4.
Zach. 9.*

113. Quid quod ipse Christus testatur, templum Hierosolymitanū typū fuisse corporis sui. 114. Porro

Ioan. 2.

114. Porro, quis non vider, templum illud ingens, & regionem latissimam, flumen maximum profluens in templo Domini, (de quibus Ezechiel agit postremo capitibus) esse descriptionem regni Christi, dilatatum totum orbem terrarum:

115. Et quod isthinc de piscatoribus habetur: certè ad eum domini sermonem referendum est, ubi dicitur se Apostolos facturos piscatores hominum.

116. Iam verò medicina, quam ex arborum folijs promittit: certè ad spiritualis illius medici, qui Es. 61. & Math. 9. medicum se profiterur, beneficia referenda est.

117. Quid autem amplificatio regni Hebræorum, & concursus omnium nationum & populorum in Esaiæ secundo & sexagesimo capitibus, volunt, quam regnum Christi dilatandum in totum terrarum orbem: cum tamen Propheta ita de his loquatur, ac si imperium Hebræorum magna futura sit accessio.

118. Ita verò accuratè typi veteres ad veritatem & res in regno Christi exhibendas accommodantur, ut ipse David typus Christi sit: sic enim à Hieremia, Ezechiele, Osea vocatur.

Hier. 30. Ezech. 34. Os. 3.

119. Sunt etiam magni nominis sacrarum literarum interpretes: qui constitutiones externas Mosaicas, ad spirituale Christi regnum eruditè referunt.

Luth. in 1. Pet. 1.

120. Nam per diuortia Hebræorum intelligunt abiectionem populi Hebræi, quem Dominus ut vxorem susceperat. Item per defunctum fratrem, cui fratres superstes, ducta ipsius vxore, semen suscitabat, intelligunt, Christum adumbratum, qui ad coelos ascendit, & nobis in mandatis dedit, ut animam impregnemus per

Ibidem.

Brentius in Ioan. cap. 1.

Lege & Euangelio.

per Euangelium, quò ad omnem pietatem fecunda sit: & nomen eius retineamus, hæreditatem bonorum ipsius adituri.

121. Sic promissiones tranquillitatis & vitæ longitudo-
tudinis, quas LEX suis pollicetur, verum complemen-
tum habent in Christo, qui suis constantem tranquillitatem & fœlicitatem, in omnem perpetuitatem duraturam, impetrauit.

122. His omnibus luculenter probatur, externas res Hebræorum, typos fuisse spiritualium bonorum in regno Christi.

123. Verùm, ceremoniæ, sacrificia, victinæ, futurorum certè adumbrationes fuerunt.

124. Nam arca Domini, agnus pascalis, hircus in solitudinem abactus, victimæ, sanguis asper sus, baptis-
mata, expiationes & lustrationes, & alia multa, fuerunt picturæ veræ illius & perfectissimæ victimæ Iesu Christi, venturi & passuri pro salute totius mundi: de quibus prolixè agit Epistola ad Hebræos.

125. Christus etiam Dominus, in verbis institutionis, disertè mentionem facit sanguinis noui testamenti: ostendens, sacramenta veteris illius, eas res significasse, quas ipse veras & præsentis exhibeat in nouo.

126. Impiè ergò faciunt, qui vtriusq; testamenti sacramenta, eandem in exhibitione rationem habuisse censent. Nam Sacramenta illa prisca, Christum venturum adumbrabant: hæc, præsentem exhibent: nec amplius vmbri est opus in nouo testamento, cū nunc & veritatem & corpus habeamus.

127. Et vt Romanenses hallucinantur, quòd ex ve-

Disputatio de

teribus ceremonijs, Leuiticis illis, quasdam mutuantur: ita Sacramentarij errant, qui cum de sacra coena agunt, umbram pro corpore nobis obtrudunt: cum umbris in nouo testamento locus non sit: exortio iam sole iusticiae IESU CHRISTO.

Mal. 4.

128. Præterea cum ceremoniæ illæ veteres, certis locis, temporibus, & populo alligatæ fuerint: expleta dominatus externi tempore, & ceremoniæ cessarunt.

129. Et quia sacerdotium illud antiquum sublatum est: ceremoniæ etiam antiquatæ sunt.

130. Hanc umbrarum & ceremoniarum abrogationem Dominus per prophetas prædixit. Hieremias enim tertio scriptum est: Non dicent vstrâ, Arcæ testamenti domini: neq; ascendet super cor, neq; recordabuntur illius, nec visitabitur.

131. De abrogatione autem ceremoniarum, plena est scriptura noui testamenti: in primis autem epistola Paulinæ. Ad Colossenses primo scriptum sic est: Ne quis vos iudicet in cibo aut potu, aut in parte dietæ festi, aut Nouilunij, aut Sabbathorum, quæ sunt VMBRÆ rerum futurarum: CORPVS autem Christi.

August. lib. 3. ad Bonif. cap. 3.

132. Vt autem Augustinus interpretaretur id, quod de umbris & veritate hîc in Ioanne habetur: Nouum testamentum latebris prophetarum occultari: & Nouum testamentum latere in Veteri, & Vetus in Nouo: quæuis Nouum sit gratiæ & amoris: Vetus autem timoris, dixit.

August. lib. 2. Quest. super Exod. Q. 73.

133. Quod tamen ita intelligendum est, ne negasse veteribus illis salutem videamur: quam scriptura omnibus hominibus, etiam veteribus illis, in vnico & solo Christi merito repositam scribit: & præclare dixit Augustinus: in Nouo testamento mutata esse Sacramenta, non Mediatoris auxilium.

Act. 15.

August. lib. 2. Con. Pelag. cap. 32.

134. Sen-

Lege & Euangelio.

134. Sentinus ergo, umbras iam abolitas esse; nec alia ratione reuocandas, quam ut collatione earum, cum rebus ipsis, quæ in Nouo testamento exhibentur, facta, intelligamus, quam scitè omnia priscis illis temporibus depicta fuerint, & plenissimum complementum in Nouo habuerint.

135. Fuerunt etiam veteres ceremoniarum ordinatio Ecclesiastica, & notæ professionis, ac pædagogia populi Hebræi: ut is à cæteris discernetur; donec veniret Christus, & ut est ἀρχαίου, ita faceret etiã vnũ ouile.

Ioh. 10.

Gal. 3.

136. Tam cùm illud discrimen Hæbræorum & gentium sublatum sit, & in regno Christi, nec Græcus sit nec Hebræus: illa signa professionis antiquata sunt.

Gal. 3.


137. Meritò itaq; Apostolus reprehendit Galatas, quæ neglecta libertate sua, astringi se illis elementis patiebantur.


138. Leges etiam Mosis politicæ, accommodatæ ad antiqua illa tempora, cum quasi municipales fuerint: nunc regno Hebræorum abolito, nos non obstringunt.


139. Quarum tamen è numero, ea ad perpetuitatem durant, quæ ex lege decalogi defluxere. Ut enim illa non aboleantur: ita nec illi riuuli, qui inde emanant, intereunt.

140. Nos Iesum Christum, pro nobis passum & crucifixum, omnis gratiæ & clementiæ fontem, toto pectore complectamur; & gratias agamus immortales, quod nobis ea, quæ patribus umbris quibusdam proposuit, verissimis complementis, & in summa luce Euangelij demonstrauerit. Ei vnà cum Patre & sancto Spiritu, sit laus honor & gloria in omnè æternitatè;


A M E N.











2704

Th
956